Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92956-p0001-2

D. O. M. S.
&
ÆTERNÆ MEMORIÆ
Matronæ virtutum gloria
celebratiſſimæ,
MARIÆ CA-
THARINÆ
cui ordo naſcendi ALEXANDRÆ,
Vinculum conjugale STRYKIÆ
nomen dedere,
Lugente Marito
celeberrimo,
Lugentibus bonis omnibus,
ao. CIↃ IↃCC
die XXII Novembri
dolor! fato functæ

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92956-p0002-8

* * *

ADeſtum Viator!
Si amas nobile virtutis ſimulacrum,
Si te inopinæ mortis caſus movet,
reſpice cladem familiæ
ex ortu & virtute nobilis.
Et Luge!
Ex utroque leges animæ commoda,
Si inter cœlum terramque medius
Spiritum DEO & terræ corpus tribuis.
Effertur funus MATRONÆ Lectiſſimæ,
quæ dubium nobis reliquit
quænam virtus in ea duxerit familiam
Dum majorum gloriam vidit, naturam exploravit.
Deinde teſtem egit veritatis,
Quid natura poſſet in homine.
Ut fundamentum reliquis poneret,
amavit pietatem.
Neceſſitatem probitatis ſibi impoſuit;
Quo magis ſe ante oculos DEi agere cerneret.
In flore juventutis pie vixit,
Ut omnem ætatem ei aptam eſſe teſtaretur:
Moribus eorum ſibi inviſis
qui pietatem ſenio conſecrant
Et eousque mortis paciſcuntur inducias.
Ut
clariora pietatis ſigna eſſent,
Elati animi impetus ejuravit:
Bello ſuperior,
quod dudum ſibi ipſi indixerat.

Ut

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92956-p0004-9

Ut
alii fructus pietatis legerent
In titulum facultatum inquiſivit.
DEo moderamen tribuit
Humanum rerum arbitrium faſtidiens:
Dum precariam poſſeſſionem agnoſceret,
Egenis dedit quod debebat proximo.
Adeo Bonæ fidei ubique memor!
Hinc fida thori ſocia,
Fidem nec moriens fregit.
Tandem mortis mirum præbuit exemplum
Pie mortua eſt,
quæ vivens ſæpius mortua erat.
Terræ virili animo valedixit,
Quo majori cœli ſpe duceretur,
Jacobi Regis Cypri utebatur ſymbolo
qui arbori aridæ lemma dederat:
GAUDIUM MEUM SPES EST.
Ergo Luge
Aſt ne doloris ſit ambitio.
Luge obitum inopinatum;
Sed agnoſce mortis ſine lege imperium.
Et DEum delectari immolatione juventutis.
Tandem diſce:
Bene mori eſſe effugere vivendi pericula.

f.
C. F. G.

(†)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92956-p0006-0

39

D. O. M. S.
&
ÆTERNÆ ME[…]

Matronæ virtutum […]
celebratiſſim[…]

MARIA[…]
THAR[…]

cui ordo naſcendi ALE[…]
Vinculum conjugale S[…]
nomen dede[…]

Lugente M[…]

celeberrimo[…]
Lugentibus bonis o[…]
ao. CIↃ IↃCC[…]
die XXII Novem[…]
dolor! fato fun[…]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92956-p0007-6